

*adjumenta, et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus.* Majora autem, et minora, et paria comparabimus sic. Ex majore: *Si bona existimatio divitiis praestat, et pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda?* Ex minore sic:

Hic parvae consuetudinis

Causa hujus mortem fert tam familiariter:

Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: *Est ejusdem et eripere et contra rem publicam largiri pecunias.* Foris autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur, ut haec: *Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius. Hoc falsum est; habita enim quaestio est. Hoc sequi necesse est; recito enim tabulas.*

Rhetor. I. 31, 32. Omnis argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. *Inductio* est oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones ejus, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. — Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet.

Hoc in genere praecipendum nobis videtur, primum ut illud, quod inducemus per similitudinem, ejusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cujus confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse nihil proderit, si ei dissimile erit id, cujus causa illud concedi primum voluerimus. Deinde ne intelligat is, quicum agimus, quo spectent illae primae inductiones, et ad quem